

1529 miliam in patriam restituere aggressus fuerat ; ea conditio-
 ne , ut Alexandro Mediceo Pontificis nepoti , cui nuper
 Margaretam , ex non legitimis nuptiis susceptam filiam , in
 matrimonium collocaverat , principatus traderetur . Itaque
 quatuor Germanorum millia , Hispanorum duo millia supra
 quingentos , octingentos Italos pedites , trecentos leviores
 equites in Hetruriam miserat , adjectis machinis bellicis vi-
 gintiquinque , qui auspiciis Arausionensis Principis adversus Flo-
 rentinos , cum pontificiis copiis conjuncti bellum gererent .
 Florentini licet ad tantam belli molem sustinendam impares
 essent ; attamen ingenti animo hostium impetum excipere ,
 ac pro libertate usque ad extremum spiritum pugnaturi vide-
 bantur ; eo miseriori conditione , atque infirmiori spe , quod
 nullos socios , qui secum belli fortunam subirent , habituri
 essent ; cum nemo pacem tanto studio partam , statim la-
 befactare , & convellere vellet . Veneti , qui ante immi-
 nens Florentinae Reipublicae bellum providerant , & saepius
 illam ad aliquam concordiae rationem cum Pontifice incun-
 dam fuerant adhortati , ut sua consilia temporibus aptarent ,
 suadebant : generosos , ac minime ea tempestate opportu-
 nos spiritus matura prudentia compescerent ; pacem , etsi
 minus fortasse æquam , incerto , & periculoso bello ante-
 ferrent . Verum is erat fere omnium civium ardor , ea con-
 stantia , ac firmitas , ut quicumque sermones de pace ha-
 berent , ii hostes patriæ judicarentur . Bellum itaque intre-
 pide suscipiunt ; Malatestam Baleonium , militari scientia
 clarum , copiarum Ducem eligunt . Acriter utrinque pugna-
 tum est ; levioribus præliis , acie dimicatum ; oppida ca-
 pta , & direpta ; urbs quassata , & obsessa : utrinque cla-
 des illatae , atque acceptae . Tandem cum neque fame per-
 vicax constantia civium frangeretur , neque in mortem rue-
 re vererentur , Malatestæ Baleonii , qui cuncta desperatio-
 ne involvi cerneret , minis potius deterriti , quam suasio-
 nibus permoti , inviti extremæ necessitati parere coacti fue-
 re . Itaque iiij. idus augusti cum Ferdinando Gonzaga , qui
 post Arausionensis eadem , principem in exercitu locum ob-
 tinebat , his conditionibus pepigere : nempe , ut Cæsar
 Rempublicam Florentinam , incolumi libertate , prout sibi
 vide-

*Veneti Flo-
rentinos ad
concordiam
hortantur .*

*Malatesta
Baleonius
Florentina-
rum copia-
rum supre-
mus Dux .*

*Florentini
Baleonii
minis deter-
riti cum
Ferdinando
Gonzaga
paciscuntur .*